



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 1. Vtrum Beatitudo sit possibilis omni, & soli naturæ rationali, & vltimus eius finis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

De possibili beatitudine
I

QVÆSTIONVM THEOLOGICARVM LIBER QVINTVS.

De Actibus humanis.

In 1. 2. S. Thoma.



QVIA homo per actus humanos mouetur ad aliquem finem, beatitudo autem est ultimus finis hominis, ideo in tractatu de Actibus humanis cū S. Thoma primo debemus agere de beatitudine, deinde de actibus,

per quos homo tendit ad beatitudinem, vel à beatitudine recedit. Diuidemus igitur has quæstiones in sex tractatus. In primo agemus de beatitudine, & ultimo fine hominis. Quia verò homo ad beatitudinem tendit per actus voluntarios, liberos, & morales; à beatitudine autem recedit per actus peccaminosos; secundus tractatus erit de Voluntario, & Inuoluntario: Tertius de Libero, ac de Libertate: Quartus de Morali; Quintus de Peccato actuali: Sextus de Peccato habituali tum Personali, tum Originali.

TRACTATVS PRIMVS

*De beatitudine, & ultimo
fine hominis.*

QVÆSTIO I.

Utrum Beatitudo sit possibilis omni, & soli naturæ rationali, & ultimus eius finis.

PRIMO videtur homo non habere ultimum finem, adeoque quæstio esse de subiecto non supponente. Quod enim est perfectibile magis, & magis in infinitum, & sine termino, non habet alium finem, quàm vt perficiatur magis, & magis in infinitum, & sine vilo termino; sed

homo est perfectibilis magis, & magis in infinitum, & sine vilo termino; ergo &c.

2. Secundò vltimus finis deberet esse bonum ita satiatium, vt eo habito, homo quiesceret, & esset contentus; sed nullum est tale bonum; ergo &c. Probatur minor experientia. Nam habito quocunque bono, non quiescimus, ac non sumus contenti.

3. Tertio si dicatur, quod habito bono infinito, & continente omnia bona, quod bonum est Deus, homo potest quiescere, & esse contentus, contra est, quia homo potest Deum possidere perfectius, & perfectius in infinitum sine vilo termino; ergo habito Deo per vnã possessionem, non est contentus, sed desiderat possidere Deum possessione perfectiori.

4. Quarto Ecclesiastici 1. dicitur: *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur;* ergo nec intellectus satiatur scientia, nec voluntas bono, adeoque non datur bonum satiatium.

5. Quintò si daretur vltimus finis, illo habito, non posset homo intendere vllum alium finem: consequens est absurdum: ergo &c. Probatur minor. Si enim habito vltimo fine, non posset homo intendere alium finem, habito vltimo fine, homo redderetur ita immobilis, & immutabilis, vt non posset quidquam agere, siquidem omnis actio fit propter aliquem finem.

6. Sextò videtur, quod admissò, quod datur vltimus finis, tamen beatitudo non sit vltimus finis hominis. De ratione enim vltimi finis est, vt non ordinetur ad alium finem principaliorẽ, & magis amatum; sed homo ita amat beatitudinem, vt magis amet se ipsum, & vt ordinet beatitudinem ad seipsum, tanquam ad finem principaliorẽ; ergo &c.

7. Septimò si dicatur beatitudinem esse vltimum finem *qui*, ad quem sufficit, vt non ordinetur ad alium finem *qui* magis amatum, licet possit ordinari ad alium finem *cui* magis amatum, contra est, quia homo debet velle beatitudinem, vt Deus glorificetur, ac magis debet amare gloriam Dei, quàm suam beatitudinem.

A

dinem

dinem ; ergo beatitudo debet ordinari ad alium finem qui principaliorem, ac magis amatum, quod est contra rationem ultimi finis.

8. Respondeo, quod nomine beatitudinis omnes intelligunt bonum perfectum, & ita sufficiens, ut eo habito, quis sit contentus, non ex errore, sed propter ipsam sufficientiam boni. Patet. Nam existimamus eos, qui sunt contenti non ex errore, sed propter sufficientiam boni, esse beatos, illos verò, qui vel non sunt contenti, vel sunt contenti ex errore, existimamus propter hoc ipsum non esse beatos, sed potius miseros.

9. Hinc sequitur, quod iuxta descriptionem Boetij lib. 3. de consolatione prosa 2. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Beatitudo enim est bonum ita sufficiens, ut eo habito, quis sit contentus propter ipsam sufficientiam boni; sed non possumus esse contenti, nisi bonum, quod habemus, sit permanens, & stabile, & contineat omnia bona à nobis desiderabilia; ergo beatitudo debet esse bonum, permanens, ac stabile, & continens omnia bona à nobis desiderabilia; sed eo ipso, quod sit bonum permanens, ac stabile, constituit statum, qui significat permanentiam, & stabilitatem; eo ipso, quod contineat omnia bona desiderabilia, constituit statum perfectum aggregatione omnium bonorum; ergo beatitudo debet esse status omnium bonorum aggregatione perfectus.

10. Sequitur secundò, quod iuxta descriptionem Augustini lib. 13. de Trinit. cap. 4. & 5. *Beatus est qui habet omnia, quæ vult, & nihil malè vult.* Qui enim non habet omnia, quæ vult desiderio naturali, ac rationali, non potest esse contentus; sed ad beatitudinem requiritur, ut illam habens sit contentus; ergo ad beatitudinem requiritur, ut beatus habeat omnia, quæ vult desiderio naturali, & rationali. Particula illa, *& nihil malè vult*, addita est ad explicandum, quod ad beatitudinem non requiritur, ut homo habeat quæ malè vult, sed potius requiritur, ut careat omni mala voluntate. Cum enim mala voluntas sit quæ vult aliquid impediens beatitudinem, ad beatitudinem non requiritur, ut habeamus quæ malè volumus, sed potius requiritur, ut nihil malè velimus. Videri potest S. Augustinus citato lib. 13. de Trinit. cap. 5. & S. Thomas 1. 2. quæst. 5. art. 8. ad 3.

11. Posita descriptione beatitudinis, duæ quæstiones sunt examinandæ. Prima est, utrum beatitudo sit possibilis omni, & soli naturæ rationali. Secunda est, utrum beatitudo sit ultimus finis naturæ rationalis.

12. Dicendum primo: beatitudo est possibilis omni naturæ rationali. Probatur; nam bonum, quod naturaliter appetitur ab omni natura rationali appetitu summo, & naturaliter censetur præferendum aliis bonis, est possibile; sed beatitudo est huiusmodi: nam omnes ratio ne videntes volunt esse beati, & habere bonum, quo habito, sint contenti; ergo &c.

Probatur maior: appetitus enim naturalis, ut potè rebus inditus à Deo auctore naturæ, non potest esse frustraneus, ita ut non possit consequi suum finem; sed si bonum, quod naturaliter appetitur, esset impossibile, appetitus naturalis talis boni esset essentialiter frustraneus, ut potè qui expleri non posset; ergo &c.

13. Confirmatur; nam eo ipso, quod omnia graua naturali impetu grauitatis inclinentur ad centrum, debent posse acquirere centrum, in quo quiescant; ergo eo ipso, quod omnes ratione videntes naturali impetu amoris volunt esse beati, possunt beatitudinem consequi, eaque habita, esse contenti.

14. Dices primò. Possumus appetere non solum possibile, sed etiam impossibilia: e. g. potest aliquis appetere comprehendere Deum, quod est impossibile; ergo ex appetitu beatitudinis non inferitur eius possibilitas.

15. Respondeo distinguo antecedens: possumus appetitu naturali, nego; appetitu non naturali, concedo; & nego consequentiam. Certum est, quod sicut homo potest errare in cognitione, sic ex errore potest concipere appetitum errantem alicuius impossibilis, qui proinde sit frustraneus; at non potest habere appetitum naturalem essentialiter frustraneum, adeoque non potest naturaliter appetere impossibile. Ratio est, quia appetitus naturalis cum sit à Deo, regulatur cognitione diuina, quæ non potest errare.

16. Dices secundò. Vnusquisque naturaliter appetit nunquam mori; sed est impossibile, ut homo nunquam moriatur; ergo appetitus naturalis potest esse impossibilis.

17. Respondeo distinguo maiorem: vnusquisque naturaliter appetit nunquam mori, hoc est animam nunquam separari à corpore, nego: vnusquisque naturaliter appetit nunquam mori, hoc est animam immortaliter viuere, prout ad beatitudinem requiritur, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ex doctrina S. Augustini lib. 13. de Trinit. cap. 8. quia omnes ratione videntes volunt esse beati, non possunt autem esse beati, nisi immortaliter viuant secundum animam, vel intellectum, ideò omnes ratione videntes naturaliter volunt esse immortales, ac nunquam mori secundum intellectum; talis autem immortalitas est etiam naturaliter possibilis. At non omnes naturaliter volunt semper viuere per yunionem animæ cum corpore, imò existimo, quod anima rationalis naturaliter appetat separari à corpore, cum corpus propter senectutem redditum est animæ prorsus inutile ad exercendas operationes, ideoque est impedimentum, ne anima consequatur beatitudinem. Idcirco quidam Philosophus, ut Aristoteles refert, cum sibi amputaret vngues, aliasque partes superfluas, dixit: *sic totum corpus abijciam, cum anima erit inutile, & superfluum.*

18. Dices tertio: gratis asseritur appetitum beatitudinis esse naturalem.

19. Respondeo negando antecedens. Nominè

mine enim appetitus naturalis intelligitur ille, ad quem experimur nos absque deliberatione determinari per modum naturæ; sed experimur nos absque deliberatione determinari ad summè desiderandam beatitudinem, hoc est bonum ita sufficiens, ut eo habito, sumus contenti; ergo appetitus beatitudinis est naturalis, præsertim cum sit communis omnibus ratione utentibus; non posset autem esse communis omnibus, nisi esset naturalis, atque ex determinatione naturæ.

20. Quod autem omnes ratione utentes velint esse beati, certissimum esse, & experientia manifestissima constare docet S. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 3. Refert enim Historiam cuiusdam mimi, qui cum promississet in Theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes, alijs ludis esse dicturum, atque ad constitutum diem ingenti expectatione maior multitudo conflueret, suspensus, & silentibus omnibus dixisse perhibetur: vili vultis emere, & caro vendere. Ostendit deinde dictum mimi fuisse falsum, siquidem fortasse erant plures, qui non vellent vili emere, & caro vendere, sed iusto pretio, & concludit. At si dixisset: omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus facta nota est, non recedit. Et cap. 4. asserit hoc esse ita notum, ac certum, ut neque ipsi Academici, qui omnia vertebant in dubium, auderent de hoc dubitare, ac dicit. Ita ne falsum erit unde nec ipsis Academicis cum omnia dubia sint, Academicus ille Cicero dubitavit, qui cum vellet in Hortensio Dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium; beati certe inquit omnes esse volumus.

21. Sed quæri potest primo, utrum appetitus beatitudinis, ex quo inferitur eius possibilitas, sit innatus, vel elicitus?

22. Respondeo, quod possibilitas beatitudinis inferitur ex appetitu elicito, ad quem, ut diximus ex Augustino, omnes experimur nos determinari per modum naturæ. Datur tamen in omni natura rationali etiam appetitus innatus beatitudinis, ex quo oritur elicitus. Ratio est, quia omnis natura habet appetitum innatum suæ perfectionis; sed beatitudo est ultima, & summa perfectio naturæ rationalis; ergo &c.

23. Quæri potest secundò, utrum amor beatitudinis sit nobis necessarius quoad exercitium, ita ut apprehensa beatitudine, non possimus illam non amare, an solum sit necessarius quoad specificationem, ita ut apprehensa beatitudine, non possimus illam odisse, sed possimus non amare, suspendendo actum amoris?

24. Respondeo probabilius mihi esse, quod sit necessarius etiam quoad exercitium. Probatur. Si enim proposita beatitudine, possemus suspendere omnem actum amoris circa illam, si certò sciremus nos nunquam consequuturos beatitudinem, possemus suspendere omnem actum doloris de æterna carentia beatitudinis, adeoque de ea non dolere; consequens est ab-

surdum, & contra experientiam; ergo &c. Probatur sequela: nam dolor de non consequutione boni supponit, vel includit amorem talis boni: nemo enim dolere potest de carentia boni, quod non amat; ergo &c. Confirmatur, nam non possumus non odisse miseriam, ideoque si alicui manifestetur eum post horam fore miserum, non potest suspendere actum doloris; ergo ex proportionali ratione non possumus non amare beatitudinem. Sed de hoc agetur ex professo infra qu. 18.

25. Obijcies: licet Deus proponatur ut bonum continens omnia bona, tamen potest liberè non amari; ergo à fortiori beatitudo.

26. Respondeo distinguo antecedens: potest non amari amore concupiscentiæ sub conceptu beatitudinis, nego: potest non amari amore amicitiae, & sub alijs conceptibus, transeat; & nego consequentiam. Natura nos determinat ad amandum bonum proprium amore concupiscentiæ, licet fortasse non determinet ad amandum bonum alienum amore amicitiae: ideoque nos necessitat ad amandum nostram beatitudinem, necessitat etiam ad amandum Deum sub conceptu beatitudinis, licet non necessitet ad illum amandum sub alijs rationibus, & conceptibus.

27. Quæri potest tertio, qualis sit amor beatitudinis, quem dicimus esse necessarium quoad exercitium?

28. Respondeo, quod non est amor trahens necessario voluntatem efficacem vincendi omnes difficultates ad beatitudinem acquirendam. Probatur: nam multi licet ament beatitudinem, tamen ita succumbunt difficultatibus, ut quia nolunt illas vincere, de beatitudine desperent; ergo amor naturalis beatitudinis non necessario trahit voluntatem efficacem vincendi difficultates. Est igitur amor, quo omnes volunt esse beati, si possent sine difficultate, stimulans quidem, & impellens, sed non necessitans ad volendum vincere difficultates. Vide infra, quæst. 18.

29. Dicendum secundò: beatitudo est possibilis soli naturæ rationali, adeoque nulla natura carens ratione, & intellectu est capax beatitudinis. Probatur: nam illa solum sunt capacia beatitudinis, quæ sunt capacia quietis, qua constituentur contenta propter sufficientiam boni; sed solæ naturæ rationales sunt capaces talis quietis; ergo &c. Probatur minor: nam talis quies debet oriri ex cognitione de sufficientia boni; sed solæ rationales creaturæ possunt cognoscere sufficientiam boni; ergo &c. Ad beatitudinem igitur non sufficit, ut res sit contenta negatiuè, ita ut nihil aliud appetat, sed requiritur, ut sit contenta positivè quiete, fundata in cognitione de sufficientia boni possessi. Et quia solæ naturæ rationales possunt cognoscere sufficientiam boni possessi, ideo solæ naturæ rationales possunt esse positivè contentæ, adeoque beatæ; & ex eadem ratione solæ naturæ rationales possunt appetere beatitudinem, quia solæ cognoscunt sufficientiam boni,

30. Dicendum tertio: beatitudo est finis positivè ultimus omnium naturæ rationalis. Probat: nam nomine finis positivè ultimi intelligimus illum, qui secundum rectam rationem ita est amandus propter se, ut alia omnia sint amanda propter ipsum, vel saltem ipsi sint attemperandi omnes alij actus voluntatis; sed beatitudo est huiusmodi; ergo &c. Probat minor: nam beatitudo secundum rectam rationem est amanda, & desideranda propter se ipsam, alia verò sunt amanda, & desideranda propter beatitudinem, atque amori beatitudinis ita sunt attemperandi omnes actus voluntatis, ut eligamus ea solum, quæ ad beatitudinem conducunt, vel saltem illam non impediunt, quæ autem impediunt, respuamus.

31. Hinc sequitur beatitudinem secundum rectam rationem amandam esse amore prælativo, quo nimirum præferatur alijs bonis amabilibus. Patet: nam quæ ita amantur, ut ipsis attemperentur amores aliorum amabilium, amantur amore, quo præferuntur alijs amabilibus; sed beatitudo secundum rectam rationem debet ita amari; ergo &c.

32. Ad 1. distinguo maiorem: quod est perfectibile magis, ac magis sine termino, per hoc, quod ponatur in hoc, vel illo termino, non habet alium finem, quam ut perficiatur magis, ac magis sine termino, nego maiorem: quod est perfectibile magis, ac magis sine termino, per hoc, quod in nullo ponatur termino, non habet alium finem, quam ut perficiatur magis, ac magis sine termino, concedo maiorem: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dupliciter potest intelligi, quod aliquid sit perfectibile in infinitum sine termino: primo ita ut nunquam debeat poni in vilo termino suæ perfectionis, sed debeat semper perfici magis, & magis: secundo ut debeat poni in aliquo termino, sed possit poni in termino perfectiori, & perfectiori. Quod est perfectibile sine termino, ita ut nunquam debeat poni in termino, non habet alium finem, quam ut semper perficiatur sine termino: at quod est perfectibile per hoc, quod debeat quidem poni in termino perfectionis, sed possit poni in termino perfectiori, ac perfectiori, habet pro fine, ut ponatur in aliquo termino, hoc, vel illo. Homo ita est perfectibilis in infinitum, ut debeat poni in aliquo termino perfectionis, in quo sit quietus, & contentus, licet possit poni vel in termino perfectiori, vel in termino minus perfecto, ideoque habet pro fine, ut ponatur in aliquo termino, & consequatur aliquam beatitudinem, hanc, vel illam.

33. Ad 2. Experientia probat solum bona imperfecta, & creata non posse satiare naturam rationalem: at non probat Deum, qui est bonum perfectum, & increatum, non posse satiare.

34. Ad 3. Deus est tantum bonum, ut possit satiare naturalem appetitum, non solum ut possessus possessione perfectiori, sed etiam ut

possessus possessione minus perfecta, ut explicabitur inferius.

35. Ad 4. concedo antecedens, & nego consequentiam: & affero disparitatem. Ideo oculus non potest satiari visu, nec auris auditu, quia nullum datur obiectum visibile continens adæquatè perfectionem omnium visibilibum, & nullum datur obiectum audibile continens perfectionem omnium audibilium; sed Deus est obiectum intelligibile, & amabile, continens adæquatè perfectionem omnium intelligibilium, & amabilium; ergo intellectus, & voluntas possunt satiari Deo.

36. Ad 5. distinguo maiorem: habito ultimo fine, non posset homo intendere alium finem primarium, concedo: non posset intendere alium finem secundarium, nego. Finis primarius prout hic sumitur est, qui intenditur, ut per illum homo sit contentus, vel ut conducens ad hoc, ut homo sit contentus, finis secundarius est, qui intenditur, non ut per illum homo sit contentus, sed quia decet hominem iam contentum. Homo habito ultimo fine, constituitur contentus, ac non potest intendere alium finem, ut per illum constitutur contentus, adeoque non potest intendere alium finem primarium; sed potest intendere finem secundarium, volendo facere actiones, quæ decet hominem iam contentum, & beatum. E. g. quia decet hominem beatum benefacere alijs, & ad finem benefaciendi moveri ex vno loco in alium, potest homo iam beatus velle benefacere alijs, & ex hoc fine moveri ex vno loco in alium, ideoque beatus non redditur immobilis, & immutabilis, ut opponitur in argumento.

37. Ad 6. & 7. distinguo maiorem: de ratione ultimi finis qui amoris concupiscentiæ est, ut non ordinetur ad alium finem qui principalior, & magis amatum amore concupiscentiæ, concedo maiorem; ut non ordinetur ad alium finem cui, vel ad alium finem qui magis amatum amore amicitiae, nego maiorem; concedo minorem; & distinguo consequens; ergo beatitudo nostra non est ultimus finis qui amoris concupiscentiæ, nego consequentiam; non est ultimus finis cui, nec ultimus finis qui amoris amicitiae, concedo consequentiam.

38. Pro explicatione duo debent adverti. Primum est. Triplex est finis: finis cui, finis qui, & finis quo. Finis cui est id, cui bonum intenditur; finis qui est bonum, quo intenditur; finis quo est ipsa possessio, vel participatio boni. E. g. cum avarus appetit divitias, finis cui est ipse avarus; finis qui sunt divitiæ; finis quo est possessio divitiarum. Ex his finibus primum in amore tenet locum finis cui, secundum finis qui, tertium finis quo. Ratio est, quia illud, quod ita amatur propter se, ut sit ratio amandi alterum, non è conuerso, magis amatur, quam illud alterum; sed finis cui ita amatur propter se, ut sit ratio amandi finem qui, & finem quo, non è conuerso; ergo &c. Probat

tur

QVAESTIO II.

Utrum homo possit esse beatus possessione boni creati.

S. Thomas quest. 2.

tur minor: nam auarus ideò amat diuitias, earumque possessionem, quia amat se ipsum, non autem è conuerso ideò amat se ipsum, quia amat diuitias, earumque possessionem; ergo &c. Proportionaliter finis *qui*, e. g. bonum beatificans, ita amatur propter se, & propter suam bonitatem, vt sit ratio amandi possessionem ipsius, non è conuerso. Quia enim amo bonum beatificum, amo eius possessionem, & volo illud possidere, non è conuerso quia amo possessionem boni beatifici, amo ipsum bonum beatificum; ergo finis *qui* est principalior, & magis amatur, quam finis *quo*.

39. Secundum, quod debet aduerti est. Duplex est amor, alter concupiscentiæ, quo amamus nos ipsos vt finem cui; alter amicitia, quo amamus amicum vt finem cui.

40. His positis, dum dicimus beatitudinem esse vltimum finem nostrum, dicimus illam esse vltimum finem *qui* amoris concupiscentiæ, quo amamus nos ipsos, non autem esse vltimum finem *cui*, vel vltimum finem *qui* amoris amicitia. Ad hoc autem, vt sit vltimus finis *qui* amoris concupiscentiæ, requiritur, & sufficit, vt non ordinetur ad alium finem *qui* magis amatum amore concupiscentiæ, non autem requiritur, vt non ordinetur ad alium finem *cui*, vel ad alium finem *qui* magis amatum amore amicitia; sed beatitudo licet ordinetur ad nos ipsos tanquam ad finem *cui* principale, & ad gloriam Dei, tanquam ad finem *qui* magis amatum amore amicitia, & charitatis, quo diligimus Deum, tamen non ordinatur ad alium finem *qui* magis amatum amore concupiscentiæ; ex amore enim concupiscentiæ, quo amamus nos ipsos, nihil debemus magis amare, quam nostram beatitudinem, licet quia per charitatem debemus magis amare Deum, quam nos ipsos ex amore Dei debeamus beatitudinem, magis amare, in quantum per ipsam glorificatur Deus, quam in quantum est bonum nostrum; ergo &c.

41. Adde vltimum finem *qui* procurandum per charitatem esse, vt Deus summè glorificetur in nobis; sed gloria definitur à Sancto Augustino lib. 83. quæstionum qu. 31. *Clara notitia cum laude*, adeoque Deus summè glorificatur in nobis per hoc, quod summè à nobis cognoscatur, & laudetur; ergo vltimus finis charitatis est, vt Deus summè à nobis cognoscatur, & laudetur; sed Deus summè, & clarissimè cognoscitur, ac laudatur, cum videtur prout in se, & in hoc ipso consistit nostra beatitudo; ergo vltimus finis *qui* procurandus per charitatem est nostra beatitudo, in quantum continet summam Dei glorificationem.

1. **V**idetur, quod possit, primò quia possessione boni creati, & finiti potest quietari, & expleri naturale desiderium hominis; sed hoc sufficit ad hoc, vt homo reddatur beatus; ergo &c. Probatur maior. Cum enim homo possidet totum bonum, cuius est capax, quietatur eius desiderium naturale; sed homo est capax solum boni creati, & finiti; ergo &c. Probatur minor: quod enim habet solum capacitatem finitam, est capax solum boni finiti; sed homo habet solum capacitatem finitam; ergo &c. Probatur minor: capacitas enim hominis identificatur cum eius entitate; sed entitas est finita; ergo, & capacitas.

2. Secundò ad hoc, vt homo sit beatus, sufficit, vt possideat bonum possessione creata, & finita; ergo sufficit etiam, vt possideat bonum creatum, & finitum: eadem enim est ratio.

3. Tertiò sola bona finita, & creata possunt ab homine possideri, bonum autem infinitum, hoc est Deus possideri non potest; siquidem possideri ab altero est imperfectio rei possessa; ergo &c.

4. Quarrò non potest creatura rationalis beari possessione bonorum extrinsecorum; sed bonum infinitum, hoc est Deus, est extrinsecum cuiuslibet creaturæ rationali; ergo &c.

5. Respondeo impossibile esse, vt homo, & quælibet natura rationalis, vel intellectualis sit beata possessione boni creati, & finiti. Probatur: nam impossibile est, vt quod est capax boni infiniti, & continentis omne bonum sine vllò defectu, beatificetur, & sit contentum possessione boni finiti, defectuosi, & imperfecti; sed homo, & quælibet natura intellectualis est capax possidendi Deum, qui est bonum infinitum, & continens omnia bona sine vllò defectu; ergo &c. Probatur maior: nam verum, & pulchrum possidet, illud cognoscendo, & contemplando; bonum verò possidet illud præsertim experimentaliter percipiendo, eoque fruendo, eo pacto, quo gustus possidet bonum dulcedinis, aliorumque saporum, illos experimentaliter percipiendo, & gustando; sed quælibet creatura rationalis potest Deum vt summum verum, & pulchrum cognoscere, & contemplari, ac percipere, quam bonus, & suavis sit Deus, iuxta illud Psal. 33. *Gustate, & videte, quam suavis est Deus*; ergo quælibet creatura intellectualis potest possidere Deum vt summum verum, pulchrum, & bonum, adeoque non potest quietari possessione vllius boni creati,

&